



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,  
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi  
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina  
Septentrionis Regna**

**Adamus <Bremensis>**

**Helmetadi[i], 1670**

Litterae Paschalis Papae Ad Omnes Christianos Deo Fideles.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11096**

LEGATIO EBONIS ARCHIEPISCOPI REMEN-  
SIS AD GENTES SEPTENTRIONALES  
A PASCHALI PAPA SVSCEPTA

**A**venticis per ordinem succedentium trium A-  
postolicorum roboratis privilegiis, Paschalis  
scilicet, Eugenii sive Gregorii sanctæ Romanæ sedis  
presulum hoc legationis Christi exemplar editum cunctis Ec-  
clesiæ catholicæ filiis porrectum atq; præfixum, opem feren-  
tibus, felicitatis negotium; impediens autem terribile  
damnationis iudicium, si ligandi solvendiq; apostolicæ dignita-  
tis verum Dei esse potest testimonium dicentis: Quodcun-  
que ligaveris super terram, & reliqua. Insuper verò  
quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; ut  
qui scandalizaverit unum de pusillis; vel cætera, munda  
superbientibus divinitus vulgata tormenta. Piis tamen be-  
nignisq; mentibus hæc ita conscripta, per ordinem firmave-  
runt inviolabilia jura apostolica.

LITERÆ PASCHALIS PAPÆ AD OMNES  
CHRISTIANOS DEO FIDELES.

Refer ad  
cap. XIV.  
lib. I. pag.  
27. ubi ex-  
presse eas  
citatur Ada-  
mus; tum  
c. 18. ibid.  
& pag. 19.

**P**aschalis Episcopus servus servorum Dei, universis  
sanctissimis fratribus, cœpiscopis, presbyteris, seu cœ-  
teris ecclesiasticis ordinibus gloriosissimisq; Princi-  
pibus, Ducibus, sive magnificis Comitibus, & cunctis Chri-  
stianis Dei fidelibus. Cum religiosissimum constet curam ac  
solicitudinem erga dominicum gregem gerere, quem divina  
dispensatione suscepimus gubernandum, atque cœlestia pabula  
salubri communicatione subministrandum, maxime his, qui  
in com-



in competis & pagis sub principe tenebrarum callida suasionem  
 persistunt, & vitam viam ignorantes devij, non quæ sursum  
 sunt, sed quæ deorsum, stulta instigatione perquirunt. Sed  
 quia in partibus Aquilonis quasdam gentes consistere, quæ  
 nec dum agnitionem Dei habere, nec sacra unda baptismatis  
 sunt renati, sub umbra mortis existere, & magis creaturæ  
 quam creatori ignari mente servire cognovimus: Idcirco  
 presentem reverendissimum fratrem ac coëpiscopum nostrum  
 EBONEM, sanctæ Remensis Ecclesiæ necessarium, cum con-  
 sensu fidelium Dei, duximus illis in partibus pro intimatione  
 veritatis dirigendum: quatinus auctoritate beatorum prin-  
 cipum Apostolorum Petri ac Pauli nostra fraterna vice in-  
 formatus, ante corpus & confessionem ipsius Apostolorum  
 Principis evangelizandi publica auctoritate liberam tradidi-  
 mus in omnibus facultatem, ut verbum vitæ viamq; salutis  
 ubiq; provideat, & fidei normam cælesti educatione confir-  
 met, atque Apostolicæ institutionis doctrinam omni diabolico  
 errore depulso viva voce corroboret, & si fortasse ad hoc di-  
 vinum pertinens officium aliquid dubium emerferit, ad san-  
 ctam Dei Catholicam atque Apostolicam Romanam Ecclē-  
 siam recurrendo semper, & ex ejus hauriet purissimo fonte la-  
 tices, unde & à cordibus mortalium divina interveniente  
 gratia noxis emundare possit errores. Collegam deniq; huic  
 divinæ administrationis legationi ei providentes, HALIT-  
 GARIUM religiosum adycentes ministrum constituimus, qua-  
 tinus ad sedem Apostolicam oportuno valeat tempore de cre-  
 dito negotio facilius præstante Domino intimare, & nun-



quam se in qualibet parte huic nostrae auctoritatis ministerio commisso negligere. Cui coram districto iudice inde rationem reddere, & de destituto ministerio poenas recipere sempiternas, non dubium esse praefigimus. Pro quo omnes exhortantes unanimiter commonemus ob amorem omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, atque Apostolorum ejus venerationem; ut in omnibus necessitatibus legationis hujus totis viribus eis solatiari certetis, & in nomine Domini nostri Iesu Christi, sicut scriptum est, recipere debeatis; Qui vos, inquit, recipit, me recipit; & qui vos spernit, me spernit. Et iterum: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde magis magisque commonemus, ut provida devotione, & largo caritatis affectu, puraque mente, ac sincera intentione, quaeque itineri hujus necessaria prospicitis, pia benignitate pro viribus succurrere non renuatis; ut pro certo hujus pietatis opere participes apud Dominum dignae retributionis meritum percipiatis, sive in caelesti descriptione hujusmodi pro compensationis munere in consortio sanctorum connumerari valeatis. Si quis vero huic Dei officio ad intimationem gentium a sancta catholica & Apostolica Ecclesia pio consultu ecclesiastico, destinato ad sensum vel auxilium praebuerit, per interventionem beatorum Apostolorum, martyrum quoque atque sanctorum omnium in caelestibus gaudiis talibus pro meritis mereatur adscribi. At vero si quis, quod non optamus, contrarius adversator, huic divino cultui institerit, vel in quoquam praepedire conatus fuerit; his, vel cooperantibus eorum, ad hoc peragendum



gendum ministerium temerator extiterit, & divina iustitie & Apostolica auctoritate, anathematis vinculo puniatur, & perpetua condemnatione reus, diabolica sorte damnetur.

\* Similiter auctoritate hujus Apostolici privilegii adjunctus est huic legationi ANSKARIVS Episcopus cum sociis suis, confirmatione Eugenii sequentis Papæ; quos succedens & Gregorius præsul eadem roboratione <sup>†</sup> ausit, & Simonem Archiepiscopum cum ANSKARIO pontificali pallio pariter decoratos, in Archiepiscopali dignitate \* si non temporaliter opulenti, spiritualiter tamen roborati, verbum Domini gentibus porrigentes, decus divinum in ipsis vigeret <sup>†</sup> [sublimi usque] corruscasset in omnibus.

\* Hæc de  
superiora  
illa, literis  
Papalibus  
præmissa  
ut in MS. Co.  
Diplomati  
ad fura  
legun-  
tur, sic ex-  
hibere etiã  
am hic una  
volui.  
<sup>†</sup> forte  
falsis le-  
gendum.  
\* deest  
sensitius  
ut, vel si-  
mile  
<sup>†</sup> forte sub-  
limiter, ut  
que.

